

cum fortitudine. Tacui, nunquid semper tacebo (Isa. XLII, 15)?

XXIII. Quis autem est hic qui tacuisse se prius dicit et non semper tacebit? Utique ille qui sicut ovis ad victimam ductus est, et sicut agnus coram tondeute se^a, sine voce non aperuit os suum^b; utique ille qui non clamavit, neque in plateis vox ejus audita est; utique ille qui non fuit contumax, neque contradixit, cum dorsum suum poneret ad flagella et maxillas^c ad palmas, faciem autem suam non avertit a fœditate sputorum; utique ille qui, cum accusaretur a sacerdotibus et senioribus, nihil respondit et, admirante Pilato, patientissimum silentium^c tenuit. Ille est qui^d, cum in passione taceret^e, in ultione postmodum non tacebit. Ille est Deus noster, id est, non omnium, sed fidelium et credentium Deus, qui, cum in secundo adventu manifestus^f venerit, non silebit. Nam, cum in humilitate prius fuerit occultus, veniet in potestate manifestus.

XXIV. Hunc expectemus, fratres dilectissimi, iudicem et vindicem nostrum, Ecclesie suae populum et ab initio mundi justorum omnium^g numerum secum pariter vindicaturum. Qui ad vindictam^h

suam nimum festinat et properat, consideret quia necdum vindicatus est ipse qui vindicat. Pater Deus præcepit Filium suum adorari, et apostolus Paulus, divini præcepti memor, ponit et dicit: *Deus, exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomenⁱ, ut in nomine Jesu omne genu flectaturⁱ cœlestium, terrestrium et infernorum (Philip. II, 9, 10).* Et in Apocalypsi Angelus Joanni volenti adorare se resistit et dicit^k: *Vide ne feceris, quia conservus tuus sum et fratrum tuorum. Jesum Dominum adora^l (Apoc., XII, 9).* Qualis Dominus Jesus et quanta patientia ejus! ut qui in cœlis adoratur, necdum vindicetur in terris. Hujus patientiam, fratres dilectissimi, in persecutionibus et passionibus nostris cogitemus. Hujus adventui plenum expectationis obsequium præbeamus. Nec defendi ante Dominum servi irreligiosa et inverecunda festinatione^m properemus. Insistamus potiusⁿ et laboremus^o et toto corde vigilantes^p atque ad omnem tolerantiam stabiles Dominica præcepta servemus; ut, cum ille iræ et vindictæ dies venerit, non cum impiis et peccatoribus puniamur, sed cum justis et Deum timentibus honoremur^q.

LECTIONES VARIANTES.

^a Coram tondeute *Bod. 1, 2, 3, 4. Ver.*

^b Sic non aperuit *Lam. Ebor.*

^c Patientissimum silentium *NC. 2.*

^d Ille qui *Lam. Ebor. Bod. 2.*

^e In passione prius *Ver.*

^f Manifestus *Lin.*

^g Justos omnes *Voss. 1.*

^h Vindictam sui *Bod. 1.*

ⁱ Ut sit super omne nomen *Ar. Lam. Ebor. Ver.*

ⁱ Omnes genu curvent *NC. 1. Lam. Ebor. Bod. 1. Ver.*

^k Restitit *Lam. Ebor. Voss. 1. NC. 1. Bod. 1, 2, 3.*

^l Adora. Hujus *Ar. Lin. Pem. Voss. 2.*

^m Perditam festinatione *Saris.*

ⁿ Insistamus autem *Saris.*

^o Laboremus *Lam. Ebor. Ver.*

^p Vigilantes ad Deum *Bod. 5.*

^q Coronemur *Vict.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Justorum omnium. Codex Lætiensis, Justos omnes secum pariter vindicaturum.

Omne genu flectatur. Septem libri veteres habent curvetur, septem vero, omnes genu curvent.

Pater Deus... infernorum. Hæc desunt in libro sancti Arnulphi, per oscitantiam nimirum, ut puto, librarii. Exstant enim in aliis libris veteribus et in editionibus.

LIBER

DE ZELO ET LIVORE.



ARGUMENTUM. — Paucis libri hujus argumentum reddit D in hæc verba D. Pontius in vita Cypriani: « Quis, inquit, livorem de venenata invidiæ malignitate venientem, dulcedine remedii salutaris inliberet? » Principio igitur, postquam eo gravior erimen esse zelum seu livorem, quo occultius est malum, et originem ejus diabolo ascribendam docuit: propositis etiam obiter invidiæ exemplis e Veteri Testamento,

radicem matorum omnium invidiam esse, per singula vitiorum genera deducit; atque adeo recte et a Christo et ab Apostolis, non uno in loco, interdictum fratrum odium, Postremo ubi Dei exemplo ad dilectionem inimicorum eos adhortatus est, præmiorum coronis propositis ab hoc malo deterret.

I. ZELARE quod bonum^r videas et invidere melio-

LECTIONES VARIANTES.

^r Bonos *Lin.*

STEPH. BALUZII NOTÆ.

⁸⁸⁹ DE ZELO ET LIVORE. Cum sanctus Augustinus initium et quedam alia hujus libri loca retulisset in l. IV, de Baptismo contra Donatistas, c. 8, postea ait: *Hæc verba Cypriani in Epistola, populis nota, quam vera, quam sortia sint recognoscimus. Vere docuit Cyprianum de Zelo et Livore et arguere graviter et monere, a quo tum*

mortifero malo cor ejus penitus alienum tanta charitatis abundantia comprobavit. Idem in caput v Epistolæ ad Galatas: Scripsit et beatus Cyprianus librum de Zelo et Livore optimum, quem qui legerit, non dubitaverit annumerare operibus carnis invidiam. Vide Hincmarum in libro LV Capitulum, cap. 47, pag. 566.

ribus leve apud quosdam et modicum crimen videtur, A fratres dilectissimi; dumque existimatur leve esse et modicum, non timetur; dum non timetur, contemnitur; dum contemnitur, non facile vitatur, et fit cæca et occulta pernicies: quæ, dum minus perspicitur ut caveri a providentibus^a possit, improvidas mentes latenter affligit. Porro autem Dominus prudentes esse nos jussit, et tanta sollicitudine vigilare præcepit, ne adversarius vigilans semper^b et semper insidians, ubi in pectus obrepserit^c, de scintillis conflet incendia, de parvis maxima exaggeret, et, dum remissis et incautis leniore aura et flatu molliore blanditur, procellis ac turbinibus excitatis, ruinas fidei et salutis ac vitæ naufragia moliat. Excubandum est itaque, fratres dilectissimi, atque omnibus viribus elaborandum ut inimico sævienti et jacula sua in omnes corporis partes^d quibus percussus et vulnerari possumus, dirigenti sollicita et plena vigilantia repugnemus²²⁶, secundum quod Petrus apostolus in Epistola sua præmonet et docet dicens: *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, aliquem devorare quærens*^e (1 Pct. v, 8). †

II. Circuit ille nos singulos, et tamquam hostis clausos obsidens, muros explorat, et tentat an sit pars aliqua murorum minus stabilis, et minus fida, cujus aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illicites^f et faciles voluptates^g, ut visu destruat castitatem. Aures per canora musica^h tentat, ut soni dulcioris auditu solvat et molliat christianum vigorem. Linguam convicio provocat, manum injuriis lacessentibus ad petulantiam cædis instigat; ut

fraudatorem faciat, lucra opponit injusta; ut animam pecunia capiatⁱ, ingerit perniciose compendia; honores terrenos promittit, ut cœlestes adimat; ostentat falsa, ut vera subripiat: et cum latenter non potest fallere, exerte atque aperte^j minatur, terrorem turbide persecutionis intentans, ad debellandos Dei servos inquietus semper et semper infestus, in pace subdolos, in persecutione violentus.

III. Quamobrem, fratres dilectissimi, contra omnes diaboli fallaces insidias vel apertas minas stare debet instructus animus et armatus, tam paratus^k semper ad repugnandum quam est ad impugnandum semper paratus inimicus. Et, quoniam frequentiora sunt tela ejus quæ latenter obrepunt, magisque occulta et clandestina jaculatio quo minus perspicitur, hoc et B gravius et crebrius in vulnera nostra grassatur, ad hæc quoque intelligenda et depellenda vigilemus ex quibus est zeli et livoris malum. Quod si quis penitus inspiciat, inveniet nihil magis Christiano cavendum, nihil cautius providendum quam ne quis invidia et livore capiatur; ne quis fallentis inimici^l cæcis laqueis implicatus, dum zelo frater in fratris odia convertitur, gladio suo nescius ipse perimatur. Quod ut colligere plenius et manifestius perspicere possimus, ad caput ejus atque originem recurramus. Videamus unde zelus, et quando et quomodo cœperit. Facilius enim a nobis malum tam perniciosum vitabitur, si ejusdem mali et origo et magnitudo noscatur.

IV. Hinc diabolus inter initia statim mundi et perit C primus et perdidit. Ille angelica majestate subnixus^m,

LECTIONES VARIANTES.

^a A providentibus Foss. 1. Prudentibus Pem. Foss. 2.
^b Semper ipse Ben. Foss. 2.
^c Latenter obrepit Pem. Foss. 2. obrepit. Ar. Bod. 2, 4. Ver. Thu. Foss. obrepent Vict.
^d Partes mittenti Bod. 5.
^e Aliquid devorare Bod. 1, 2. Ver. Thu.
^f Formas muliebres Bod. 3.
^g Voluntates Lam. Ebor. Foss. 1, 2. NC. 1. Pem. Bod.

2, 4. Vict. Foss.

^h Canora musica Ben. Thu. Foss.

ⁱ Capiat, ostendit Bod. 1.

^j Atque manifeste Bod. 1.

^k Sit tam paratus Pem. Foss. 2.

^l Ne quis inimici Pem. Foss. 1.

^m Ille angelica Bod. 1, 2, 3, 4. Lam. Ebor. Lia. NC. 1. Foss. 1, 2. Potestate Bod. 5. Ille dudum Oxon.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

I. — *Non facile vitatur.* Consultationes Zachæi et Apollonii, cap. 29, in tomo x Spicilegii Dacheriani, pag. 36: *Et quod est sævius, sub specie innocentie malum non cavetur, dum vitari posse non creditur.*

Ubi in pectus obrepit. Decem libri veteres obrepserit. Ita etiam veteres editiones. Editio Morellii, quando in pectus obrepit.

Murorum. Antea legebatur *membrorum*. Veram lectionem invenimus in duobus vetustis exemplaribus, in Victorino nimirum veteri et in Tornacensi. In Victorino scriptum est *membrorum* et supra lineam vel *murorum*; in Tornacensi vero *murorum*, et supra lineam vel *membrorum*.

II. — *Circuit ille.* Auctor Epistolæ ad Demetriadem inter opera Hieronymi: *Invidere non cessat auctor invidiæ, et qui semel a Deo ipse projectus est, tanto majori livore torquetur, quanto aliquem apud eum viderit clariorem.* Et mox: *Mox dolosi hostis universa perlustrans explorat omnes aditus anime suæ, an sit aliquid infirmum et minus tutum per quod possit irrepere.*

Canora musica. Hanc lectionem, quam præferunt antiquæ editiones, etiam Morelliana, retinere placuit, quia illam exhibent septemdecim libri veteres, nisi quod in eorum uno scriptum est *sonora* pro *canora*,

et quia musicam dici posse dubitabatur ævo Quintilianii, ut ipse ait lib. viii, cap. 3. Et tamen quidam alii libri veteres et editio Anglicana præferunt *canoram musicam*; codex Moysiæcensis et Rigaltius, *canoram musicam*. Sed hic error est; canor enim est masculini generis. Ovidius, lib. v Metamorphoseon: *Non tamen ille canor mulcendas natus ad aures.* Sunt etiam alia exempla.

Ostentat falsa. Citat hunc locum auctor *Prædestinati* editus a Sirmondo in Prologo libri tertii: *Finitus est liber inimicus hominum, contra Fidem Catholicam confictus, circumdatus fallaciis, adulter integræ diffinitionis, quique, ut sanctus Cyprianus ait, falsa ostentat ut vera surripit.*

III. — *Tela quæ latenter.* Supra in initio libri *de Unitate Ecclesiæ*, pag. 193: *Facilior cautio est ubi manifesta formido est.* Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos: *Sagitta quæ contento nervo dirigitur difficile vitatur. Antea enim ad eum ad quem facta est pervenit quam obice clypei frustratur.*

IV. — *Hinc diabolus.* Refert et illustrat hunc locum sanctus Augustinus lib. iv. *de Baptismo* contra Donatistas cap. 9. Vide Sirmondum in librum Rufini Palæstini *de Fide*, pag. 91.

ille Deo acceptus et chorus, postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum malivolo livore prorupit, non prius alterum deiciens instinctu zeli quam ipse zelo ante dejectus, captivus antequam capiens, perditus antequam perdens, dum, stimulante livore ^a, homini gratiam datæ immortalitatis eripit ^b, ipse quoque id quod prius fuerat amisit. Quale malum est, fratres dilectissimi, quo angelus cecidit, quo circumveniri et subverti alta illa et præclara sublimitas potuit, quo deceptus est ipse qui decepit! Exinde invidia grassatur in terris, dum livore periturus magistro perditionis obsequitur, dum diabolum qui zelat imitatur, sicut scriptum est: *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* (Sap. 11, 24). Imitantur ergo illum qui sunt ex parte ejus.

V. Hinc denique novæ fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda cœperunt (Gen. iv), dum Abel justum Cain zelat injustus, dum bonum malus invidia et livore persequitur. Tantum valuit ad consummationem facinoris æmulationis furor, ut nec charitas fratris, nec sceleris immanitas, nec timor Dei, nec pœna delicti cogitaretur. Injuste oppressus est qui justitiam primus ostenderat, odia perpessus est qui odisse non moverat, occisus est impii qui moriens non repugnabat. Et quod Esau fratri suo Jacob inimicus existit, zelus fuit (Gen. xxvii). Nam, quia ille benedictionem patris acceperat, hic in odium ²⁵⁷ persecutionis facibus livoris exarsit. Et quod Joseph fratres sui venderunt, causa vendendi de æmulatione descendit (Gen. xxxvii). Postquam id quod sibi in visionibus prosperum fuerat ostensum, simpliciter ut fratribus frater exposuit, in invidiam malivulus animus erupit. Saul quoque rex ut David odisset, ut persecutionibus sæpe repetitis innocentem, misericordem, mitem, ^c lenitate patientem necare euperet, quid aliud quam zeli stimulus provocavit (I Reg. xviii)? Quia, Goliath interfecto, et ope ac

A dignatione divina tanto hoste deleto ^d, populus admirans in laudes David prædicationis suffragio ^e prosiliit (III Reg. xvii), Saul ^f simultatis atque insectationis furias de livore concepit. Et ne longum faciam singulos recensendo ^g, percuntis semel ^h populi attendamus interitum. Judæi nonne inde perferunt dum Christo malunt invidere quam credere? Obtrectantes magnalibus quæ ille faciebat, zelo excecante decepti sunt, nec ad divina noscenda cordis oculos aperire potuerunt.

VI. Quæ nos considerantes ⁱ, fratres dilectissimi, contra tantam mali perniciem vigilanter et fortiter dicata Deo pectora muniamus. Aliorum mors proficiat ad nostram salutem, imprudentium pœna providentibus conferat sanitatem. Non est autem quod aliquis existimet malum istud una specie contineri aut brevibus terminis et angusto sine concludi. Late patet zeli multiplex et fecunda perniciēs. Radix est ^j malorum omnium, fons eladium, seminarium delictorum, materia culparum. Inde odium surgit, animositas inde procedit. Avaritiam zelus inflammat, dum quis suo non potest esse contentus, ridens alterum ditioem. Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus altioem ^k. Zelo excecante sensus nostros atque in ditionem suam mentis arcana redigente, Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, judicii dies non providetur. Inflatur superbia, exacerbatur sævitia, perfidia prævaricator, impatientia concutit, furit discordia, ira fervescit; nec se jam potest cohibere vel regere qui factus est potestatis alienæ. Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hæreses atque ad schismata prosilitur, dum obtrectatur sacerdotibus, dum episcopis invidetur, dum quis aut queritur non se potius ordinatum ^l, aut dedignatur alterum ferre præpositum. Hinc recalcitrat, hinc rebellat de zelo

LECTIONES VARIANTES.

^a Et dum stimulante NC. 1. Lam. Ebor. Bod. 2.

^b Sic, Lam. Ebor. Lin. Voss. 1. Bod. 1, 2, 3, 4. eripit, qui quoque Imp.

^c Miti venitate Routh, ex suis codd.

^d Hoste dejecto, Pem. Voss. 2.

^e Prædicationis officio Bod. 1.

^f Saul rex, Pem. Voss. 2.

^g Recensendo Lam. Ebor. Lin. NC. 1. Voss. 1. Bod. 1,

2, 3, 4. Accensendo Oxon.

^h Simul populi Pem. Ebor. Routh, ex uno cod. Sibi Tew.

ⁱ Sic Thu. Foss. NC. 2. Quæ nunc Oxon.

^j Radix est enim, Lin. Pem. Voss. 2. Bod. 3. 4.

^k Sic Lam. NC. 1. Bod. 2, 3.

In honoribus auctioem Oxon.

^l Potius honoratum Bod. 3.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Ex parte ejus. Postea sequitur in codice Pithœano: *D ret, primus zelum et mortem ostenderit. Justorum animæ in manu Dei sunt.* Sed istud additamentum non reperi alibi.

V. — *Novæ fraternitatis.* Vox novæ deest in duobus libris veteribus. Certe videtur superflua. Non delevi tamen, quia exstat in multis exemplaribus manuscriptis.

Livore persequitur. Postea sequitur in tribus antiquis codicibus, *dum diabolum qui zelat imitatur.* Sed hæc videntur repetita a quodam studioso ex his quæ paulo ante dicta sunt. Novatianus in libro de Trinitate, non de maligno invidiæ livore descendit.

Abel justum Cain zelat. Quem ideo Prosper lib. 11 de Promissionibus et Prædictionibus Dei, cap. 6, vocat auctorem invidiæ. Irenæus lib. 1. loquens de generatione Cain ait: *ita ut et dum fratrem suum Abel occide-*

D ret, primus zelum et mortem ostenderit.

⁵⁰⁰ *Semel.* In uno libro meo vetere scriptum est *semel* et supra lineam *vel simul*. Hinc ergo, uti jam non *semel* diximus, orta est discrepantia quæ istic reperitur in codicibus manuscriptis, quorum nonnulli habent *semel*, alii *simul*.

VI. — *Inde odium surgit.* Prudentius in Hamartigenia: *Arsit enim scintilla odii de fomite zeli.*

Altioem. Ita veteres editiones et sexdecim libri veteres. Manutius posuit *auctioem*. Postea Morellius revocavit veterem lectionem. Pamelius reposuit *Manutianam*, quam ego inveni in decem libris antiquis, Sed major numerus vincit. Et certe vetus editio multo melior est.

Ira fervescit. Quam Cassianus lib. viii, cap. 1 vocat *mortiferum virus*.

superbus, de amulatione perversus, animositate et A livore non hominis, sed honoris inimicus.

VII. Qualis vero est ^a animæ linea, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in altero vel virtutem ejus vel felicitatem, id est odisse in eo vel merita propria vel beneficia divina, in malum proprium bona aliena convertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœ iam, et velut quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus et sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis eruciatiibus lacerent, qui cordis secreta malignolentiae unguis pulsant! Non cibus talibus latus, non potus potest esse jucundus. Suspiratur semper et ingemiscitur et doletur; dumque ab invidis nunquam livor exponitur, diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur. Mala cætera habent terminum ^b, et quodcumque delinquitur, delicti consummatione finitur. In adultero cessat facinus perpetrato stupro, in latrone conquiescit scelus homicidio admissio, et prædoni rapacitatem ^c statuit præda possessa, et falsario modum ponit impleta fallacia. Zelus terminum non habet, permanent jugiter malum et sine fine peccatum; quantoque ille cui ²⁵⁸ in-

videtur successu meliore profecerit, tanto invidus in majus incendium livoris ignibus inardescit.

VIII. Hinc vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effrenata convicia, manus ad cædis violentiam prompta, etiamsi a gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis ^d armata. Et ideo Spiritus sanctus dicit in Psalmis: *Noli zelare e bene ambulantes in via sua. Et iterum: Observavit peccator justum, et stridebit ^f ad eum dentibus suis ^g. Deus autem irridebit eum, quoniam providet quia veniet dies ejus ^h (Psal. xxxvi, 7, 12, 15). Hinc beatus apostolus Paulus designat et denotat dicens: *Venenum aspidum sub labiis eorum, et os eorum maledictione ⁱ et amaritudine plenum est. Veloces ^j ad effundendum sanguinem pedes eorum, contritio ^k et calamitas in viis eorum qui viam pacis ^l non agnoverunt, nec est timor Dei ante oculos eorum (Rom. iii, 15 18).**

IX. Multo malum levius et periculum minus est cum membra gladio vulnerantur. Facilis cura est ubi plaga perspicua est, et cito ad sanitatem medela subveniens perducitur ^m quod videtur. Zeli vulnera abstrusa sunt et occulta; nec remedium curæ medentis

LECTIONES VARIANTES.

^a Sic Lam. Ebor. Bod. 1, 2, 3, 4. Qualis vero animæ Oxon.

^b Terminum suum Lam. Ebor. Bod. 2.

^c Prædonis rapacitatem Ar. Lam. Ebor. Lin. Bod. 1, 2, 3, 4. Thu. Vici. Saliat Vat.

^d Furiosæ mentis Pem. Foss. 2.

^e Noli te zelare Bod. 4.

^f Stridet Lam. Bod. 1, 2, 3, 4. Thu. Ver.

^g Dentes Bod. 1, 2, 3, 4. Ben.

^h Venient dies Bod. 4. Venit Bod. 3.

ⁱ Maledicto Bod. 2. 4. Thu. Ver.

^j Et veloces Bod. 3.

^k Contribulatio Ar. NC. 1. Foss. 2. Bod. 1, 2, 3, 4. Ver. Infelicitas Bod. 3.

^l Quia viam Bod. 1.

^m Sic Ar. Lam. Ebor. Thu. Foss. Lin. Bod. 1, 2, 3, 4. Vulnus quod videtur Oxon.

STEPH. BALUZI NOTÆ.

VII — *Admovere carnifices.* Tacitus l. vi Annalium: *C Neque frustra præstantissimus sapientiæ firmare solitus est, si recludantur tyrannorum meates, postea aspici laniatus et ictus.* Seneca Hercules Ætæo:

O si pateant pectora divitum,
Quantos intus sublimis agit
Fortuna motus!

Latinius Paetus in Panegyrico Theodosii: *Habet nescio quos internos mens scelerata carnifices.* Boetius lib. iv de Consolatione Philosophiæ:

Quos vides sedere celso
Soli culmine reges,
Detrahit si quis superbis
Vani tegmina cultus,
Jam videbit intus arctas
Dominos ferre eatenas.
Hinc enim libido vexat
Avidis corda venenis.
Hinc flagellat ira mentem
Fluctus turbida tollens,
Marmor aut captos fatigat,
Aut spes lubrica torquet.

Contra apud Senecam Epist. cxv: *Si nobis animum boni viri liceret inspicere, o quam pulchram faciem, quam sanctam, quam ex magnifico placitoque fulgentem videremus, hinc fortitudine, hinc temperantia prudentiaque lucentibus!*

Laniatur. Codex sancti Arnulphi et Gratianopolitani, laceratur.

VIII. — *Hinc vultus minax.* In uno veteri libro scriptum est: *Hinc vultus est contumax.*

In labiis tremor. His verbis tamquam suis usis est Robertus Gervasii episcopus Senecensis, describens vitia Bartholomæi archiepiscopi Barensis, qui se nominabat Urbanus VI in initio miserabilis illius schismatis quod Ecclesiam distraxit post Gregorii pape XI

excessum, uti videre est in pagina 1271 Notarum notarum ad Vitas Paparum Avenionensium. Labiorum tremorem antiqui posuerunt inter indicia male mentis. Lactantius enim in libro de Ira Dei, cap. v, enumerans vitia animi perturbati, inter ea ponit oris, id est labiorum, tremorem. Hieronymus in caput 1 Epistolæ Pauli ad Titum: *Ille e diverso torvo vultu, trementibus labiis, rugata fronte, effrenatis conviciis, facie inter pallorem ruboremque variata, clamore perstrepat.* Item in Epistola de vitando suspecto Contubernio: *Quid vultum infantiæ rubore suffundis et trementibus labiis impatientiam pectoris confiteris?* Item in Epistola ad Pammachium contra Joannem Hierosolymitanum: *Resupina cervice ac trementibus labiis conticuisti.* Item in Epistola ad Oceanum de nimis uxoris viro: *Sudare tamen frons, pallere genæ, tremere labia, linguæ saliva siccari, et plus atate quam timore contrahi.* Sulpitius Severus Dial. iii, c. 20, loquens de Briceio nondum sanæ mentis: *Trementibus labiis incertoque vultu.* Fragmentum Petronii apud Dionemedem lib. iii: *Amus recocta vino, trementibus tabellis.* Seneca in initio libri de Ira inter signa iræ ponit quod labia quatiantur. Alibi est indicium timoris, ut apud Hieronymum in Epistola ad Nepotianum de Vita Clericorum: *Pavent ad introitum medici, trementibusque labiis an commodius habeant sciscitantur.* Silius Italicus lib. viii:

Volveas vix murmur anhelum
Inter singultus labrisque trementibus Anna.

Seneca Epist. cxvii: *Proprium autem est nocentium trepidare.* Vide supra pag. 439.

IX. — ⁵⁹¹ *Perducitur quod videtur.* Ita vetustiores et xxvi vetera exemplaria. Erasmus addidit vocem *vultus* hoc modo: *perducitur vultus quod videtur, quam lectionem ego quoque inveni in quinque*

admittunt quæ se intra conscientiæ latebras cæco dolore clauerunt. Quicumque es invidus et malignus, videris quam sis eis quos odisti insidiosus, perniciosus, infestus. Nullius magis quam tuæ salutis inimicus es. Quisquis ille est quem zelo persequeris, subterfugere et vitare te poterit; tu te non potes fugere^a: ubicumque fueris, adversarius tuus tecum est, hostis semper in pectore tuo est^b, pernicius intus inclusa est, ineluctabili catenarum nexu ligatus et vinctus es, zelo dominante captivus es, nec solatia tibi ulla subveniunt. Perseverans malum est hominem persequi ad Dei gratiam pertinentem. Calamitas sine remedio est odisse felicem.

X. Et ideo, fratres dilectissimi, huic periculo consulens Dominus, ne quis zelo fratris in laqueum mortis incurreret, cum eum discipuli interrogarent quis inter illos^c major esset: *Qui fuerit*, inquit, *minimus in omnibus vobis, hic erit magnus* (Luc. ix, 48). Amputavit omnem æmulationem responso suo, omnem causam et materiam mordacis invidiæ eruit et abscidit. Discipulo Christi^d zelare non licet^e, non licet invidere. Exaltationis apud nos non potest esse contentio: de humilitate ad summa crescimus^f, didicimus unde placeamus. Denique et apostolus Paulus instruens et monens ut qui, illuminati Christi lumine tenebras nocturnæ conversationis evasimus, in factis atque in operibus luminis ambulemus, scribit et dicit: *Nox transivit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamus^g arma lucis. Tamquam in die decenter^h ambulemus, non in comessationibus et ebrietatibus, non in concupiscentiis et impudicitis, non in certaminibus et zelo* (Rom. xiii, 12, 13). Si recesserunt de pectore tuo tenebræ, si nox inde discussa est, si caligo detersa est, si illuminavit sensus tuos splendor diei, si homo lucis esse cœpisti, quæ sunt Christi gere, quia lux et diesⁱ Christus est.

XI. Quid in zeli tenebras ruis? quid te nubilo livoris involvis? quid invidiæ cæcitate omne pacis et charitatis lumen extinguis? quid ad diabolum cui renuntiaveras redis? quid Cain similis existis? Homicidii namque facinore constringi eum qui zelaverit et odio habuerit fratrem suum, declarat Joannes apostolus in Epistola sua dicens: *Qui fratrem suum odit,*

homicida est; et scitis quia omnis homicida non habet in se vitam manentem (1 Jo. iii, 15). Et iterum: *Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc, et in tenebris ambulat, et non scit quo eat^j; quoniam tenebræ excæcaverunt oculos ejus* (Ibid. ii, 9-11). Qui odit, inquit, fratrem suum, in tenebris ambulat, et non scit quo eat. Il enim^k nesciens in gehennam, ignarus et cæcus præcipitatur in pœnam, recedens scilicet a Christi lumine monentis et dicentis: *Ego sum lumen mundi. Qui me secutus fuerit non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ* (Joan. viii, 12). Sequitur autem Christum qui præceptis ejus insistit, qui per magisterii ejus viam graditur, qui vestigia ejus atque itinera sectatur, qui id quod Christus et docuit et fecit imitatur, secundum quod Petrus^l quoque hortatur et monet dicens: *Christus passus est pro nobis^m, relinquens vobis exemplum ut sequamini vestigia ejus* (1 Pet. ii, 21).

XII. Meminisse debemus quo vocabulo plebem suam Christus appellet, quo titulo gregem suum nuncupet. Oves nominat, ut innocentia christiana ovibus æquetur (Joan. x, 2; Matth. x, 16); agnos vocat, ut agnorum naturam simplicem simplicitas mentis imitetur. Quid sub vestitu ovium lupus latitat? quid gregem Christi qui se christianum mentitur infamat? Christi nomen induere et non per Christi viam pergere, quid aliud quam prævaricatio est divini nominis, quam desertio itineris salutaris? quando ipse doceat et dicat eum ad vitam venire qui mandataⁿ servaverit, et eum esse sapientem qui verba ejus audierit et fecerit, doctorem quoque eum maximum in regno cœlorum vocari qui fecerit et sic docuerit (Matth. v, 19); tunc prædicanti profuturum quod bene atque utiliter prædicatum fuerit, si id quod ore promittitur factis sequentibus impleatur. Quid vero insinuavit crebrius discipulis suis Dominus, quid inter salutaria monita et præcepta cœlestia custodiendum magis servandumque mandavit, quam ut eadem dilectione qua discipulos ipse dilexit, nos quoque invicem^o diligamus (Joan. xiii, 34)? Quomodo autem vel pacem Domini vel charitatem tenet qui, intercedente zelo, nec pacificus potest esse nec charus?

XIII. Ideo et apostolus Paulus, cum pacis et charitatis merita depromeret, cumque asseveraret firmiter et doceret nec fidem sibi, nec eleemosynas, nec

LECTIONES VARIANTES.

- ^a Potes vitare nec fugere Ar. Voss. 2. Fugere ubi-
cumque fugeres Foss.
^b In pectore est Lam. Ebor. Thu. Bod. 1, 2.
^c Quis eorum Lin.
^d Discipulum Christi Lam. Lin. Bod. 2.
^e Non decet Bod. 2.
^f Crescimus unde placeamus Pem. Voss. 2.
^g Induamur Ver. Vet. inon.

- ^h Honestè Lin.
ⁱ Et lux et dies Bod. 1.
^j Nescit quo eat Bod. 2.
^k Petrus apostolus Bod. 3.
^l Passus est pro vobis Lam. Bod. 1, 2. Thu. Foss. vid.
^m ad Quir. cap. 39.
ⁿ Mandata ejus Ver. Bod. 2.
^o Nos invicem Ar. Bod. 2. Thu. Foss.

STEPH. BALUZZI NOTÆ.]

manuscriptis codicibus. Sustuli tamen eam, propter auctoritatem tot veterum exemplarium, et quia sine ea optime constat sensus.

Adversarius tuus tecum est. Hieronymus in Epistola ad Eustochium de Custodia Virginitatis: *Facile aliis caremus vitis. Uic hostis nobis inclusus est. Quocumque pergitur, nobiscum portamus inimicum.*

X — *Nox transivit.* Vide Erasmi Annotationes in hunc locum Pauli.

XI. — *Fratrem suum odit.* Vide sanctum Augustinum Tractatu v in Epistolam sancti Joannis, et Cassianum, lib. 1, cap. 20. Vide etiam Hinemarum, tom. 1, pag. 72.

passionem quoque ipsam confessoris et martyris ^a A profuturam, nisi charitatis fœdera integra atque inviolata servasset, adiecit et dixit: *Charitas magnanima est, charitas benigna est, charitas non zelat* (I Cor. xiii, 4); docens scilicet et ostendens eum posse charitatem tenere quisquis magnanimus fuerit et benignus et zeli ac livoris alienus. Item alio loco, cum moneret ut homo jam sancto Spiritu plenus et navitate cœlesti Dei filius factus non nisi spiritalia et divina sectetur, ponit et dicit: *Et ego quidem, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, tamquam infantibus in Christo. Lacte vos potavi ^b, non cibo, nondum enim poteratis, sed neque nunc potestis ^c. Adhuc enim estis carnales. Ubi enim in vobis ^d zelus et contentio et dissensiones sunt, nome carnales estis et secundum hominem ambulatis* (I Cor. iii, 1-5)?

XIV. Obterenda sunt, fratres dilectissimi, vitia et peccata carnalia, et terreni corporis infesta labe spiritali vigore calcanda, ne, dum iterum ad veteris hominis conversationem revolvimur, lethalibus laqueis implicemur, Apostolo hoc idem providenter ^e et salubriter præmonente: *Itaque, inquit, fratres, non secundum carnem vivamus: si enim secundum carnem vixeritis ^f, incipietis mori: si autem spiritu opera carnis mortificaveritis ^g, vivetis. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt* (Rom. viii, 12-14). Si filii Dei sumus, si templa ejus esse jam cœpinus, si, accepto Spiritu sancto, sanete et spiritaliter vivimus, si de terris oculos ad cœlum sustulimus, si ad superna et divina plenum Deo et Christo pectus creximus, non nisi quæ sunt Deo et Christo digna faciamus, sicut ^C et Apostolus excitat et hortatur: *Si consurrexistis ^h, inquit, cum Christo, quæ sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, ³⁰⁰ non quæ super terram ⁱ. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos appare-*

LECTIONES

- ^a Sic Bod. 1, 2, 3, 4. Thu. Confessionis aut martyrii Oxon.
^b Sic Ar. Lam. Ebor. Lin. Bod. 1, 2, 3, 4. Thu. Lacte vos cibavi Bod. 1. Escam l. m ad Quir. c. 3.
^c Potestis cibum ferre Voss. 1.
^d Etenim inter vos NC. 1. Lam. Bod. 2.
^e Providente Ar. Bod. 2.
^f Vivitis Bod. 3, 4. Voss. 1. Ver. Ben. Moriemini Bod. 3. Voss. 1.
^g Mortificatis Ver.
^h Consurrexistis, inquit, Christo Ver. Consurreximus Thu.
ⁱ Non quæ terrena Ar. Bod. 1, 2, 3, 4. Ver. Ben.
^j Emortui Ar.

STEPH. BALU'ZII NOTÆ.

Carnalibus, tamquam. In Apostoli *ἐχσες* voces carnalibus, tamquam, quæ a textu Baluziano forte exciderant, restitui. ROURN.

XIII. — *Confessoris et martyris.* Ita scribendum esse existimavi, pro eo quod antea legebatur, *confessionis et martyrii*, quia ita scriptum vidi in septendecim libris nostris et in quatuor Anglicanis. Sic etiam legisse se in Camberonensi testatur Pamelius. In editione quæ dicitur Grævii legitur *confessori et martyri*. Quæ lectio valde accedit ad eam quam ego substitui. Octo vetera exemplaria habent eam quam rejeci. *Infantibus.* Triâ vetera exemplaria habent *parvulis*. In libro in *Testimoniorum* scriptum est *infantibus*.

Lacte vos potavi. Antea legebatur. *Lac vobis potum dedi, non cibum.* Quamvis ea lectio bona sit, eam tamen

bitis cum ipso in gloria (Coloss. iii, 1-4). Qui ergo in Baptismo secundum hominis aut qui peccata carnalia et mortui) et sepulti sumus, qui regeneratione cœlesti Christo consurreximus, quæ sunt Christi et cogitemus pariter et geramus, sicut idem Apostolus docet rursus et monet dicens: *Primus homo de terræ limo, secundus homo de cœlo. Qualis ille de limo, tales et qui de limo; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Quomodo portavimus imaginem ejus qui de limo est, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est* (I Cor. xv, 47-49). Imaginem autem cœlestem portare non possumus, nisi in eo quod esse jam cœpinus ^k, Christi similitudinem præbeamus.

XV. Hoc enim mutasse quod fueras et cœpisse esse quod non eras, ut in te divina nativitas luceat, ^B ut ad Patrem Deum deifica disciplina respondeat, ut honore et laude vivendi Deus in homine clarescat, ipso exhortante et monente et eis qui se clarificant vicem mutuam pollicente: *Eos, inquit, qui clarificant me clarificabo; et qui spernit me spernetur* (I Reg. ii, 30). Ad quam clarificationem ^l formans nos ac præparans Dominus et Filius Dei similitudinem Dei Patris insinuans in Evangelio suo dicit: *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tibi ^m, et odio habebis ⁿ inimicum tibi. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, et orate pro his qui vos persequuntur, ut sitis filii Patris vestri ^o qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (Levit. xix; Matth. v, 43-45). Si hominibus lætum est et gloriosum filios habere consimiles, et ^C tunc magis generasse delectat si ad patrem lineamentis paribus soboles subsiciva ^p respondeat, quanto major in Deo Patre lætitia est cum quis sic spiritaliter nascitur, ut in actibus ejus et laudibus divina generositas ^q prædicetur? Quæ justitiæ palma est, quæ corona, esse se talem ^r de quo Deus non dicat: *Filios generavi ^s et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.*

VARIANTES.

- ^k Cœpinus perseveremus Voss. 1.
^l Clarificationem conformans Voss. 1.
^m Proximum tuum Ar.
ⁿ Et odies Peni. Voss. 1. Bod. 1. 3.
^o Similes Patri Ar. Lin. NC. Bod. 2. 1. 5, 4. Patri vestro Thu.
^p Succisiva, Bod. 3. Succidiva Vieti.
^q Generatio Ar. Bod. 2.
^r Esse talem Ar. Bod. 2. Totalem NC. 1. Drur. 1. 2. Meerm.
^s Sic Bod. 1. 5, 4. Genui Oxon.

D

præferri debere arbitratus sum quam exhibent viginti libri nostri et octo Anglicani, tum etiam Camberonensis a Pamelio laudatus, et excerpta Flori. Aliam habent aliquot libri veteres et editiones. In libro in *Testimoniorum*, cap. 5, legitur: *Lac vobis potum dedi, non escam*.

XV. — *Subsiciva.* Rigaltius malebat *successiva*. Quam lectionem ego deprehendi in aliquot vetustis exemplaribus. In codice Beccensi scriptum est *succidua*.

Generavi. Quamvis lectio quæ habet genuit bona sit, istam tamen reducere placuit, quia existat in omnibus editionibus quæ Pamelianam antecesserunt, in xxii libris nostris, et in tribus Anglicanis. Aliam non inveni nisi in tribus.

Sic spiritaliter nascitur. Reliqua hujus libri desunt in codice sancti Arnulphi.

(Isa. 1, 2). Collaudet te potius ^a Christus et invitet ad A præmium dicens: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (Matth. xxv, 34).

XVI. His meditationibus corroborandus est animus, fratres dilectissimi, ejusmodi exercitationibus contra omnia diaboli jacula firmandus. Sit in manibus divina lectio, insensibilis Dominica cogitatio: oratio jugis omnino non cesset: salutaris operatio perseveret. Spiritualibus semper actibus occupemur, ut quotiescumque inimicus accesserit, quoties adire tentaverit, et clausum adversum se pectus inveniat et armatum. Non enim christiani hominis corona una est quæ tempore persecutionis accipitur: habet et pax coronas suas, quibus de varia et multiplici congressione victores, prostrato et subacto adversario, B coronantur. Libidinem subegisse continentiae palma est. Contra iram, contra injuriam repugnasse corona patientiae est. De avaritia triumphus est pecuniam spernere. Laus est fidei fiducia futurorum ^b mundi adversa tolerare. Et qui superbus in prosperis non est, gloriam de humilitate consequitur. Et qui ad pauperum fovendorum misericordiam pronus est, retributionem thesauri caelestis adipiscitur. Et qui zelare non novit, quique, unanimes et mitis, fratres

LECTIONES VARIANTES.

^a Me; collaudet te potius Ar. Bod. 1, 2, 3, 4.

^b Futurorum bonorum Bod. 2, 3.

^c Tenebris abige Bod. 2.

^d Semen feraci Bod. 1.

suos diligit, dilectionis et pacis præmio honoratur. In hoc virtutum stadio quotidie currimus, ad has justitiae palmas et coronas sine intermissione temporis pervenimus.

XVII. Ad quas ut pervenire tu etiam possis, qui fueras zelo et livore possessus, omnem illam malitiam qua prius tenebaris abjice ^e, ad viam vitae aeternae vestigiis salutaribus reformare. ³⁶¹ Evelle de peccatore tuo spinas et tribulos, ut te Dominicum semen fertili ^d fruge locupletet, ut divina et spiritualis seges in copiam fecundae messis exuberet. Venena fellis evome, discordiarum virus exclude, purgetur mens quam serpentinus livor infecerat, amaritudo omnis quæ intus insederat Christi dulcedine leniatur. Si de sacramento crucis et cibum sumis et potum, lignum quod apud merrham ^e profecit in imagine, ad saporis dulcedinem tibi in veritate proficiat ad mulcendi pectoris lenitatem, nec ad medelam prosperandae validitudo laborabis. Unde vulneratus fueras, inde curare. Ana eos quos ante oderas, dilige illos quibus injustis obtrectationibus invadebas. Bonos imitare, si sectari potes ^f. Si autem eos sectari non potes, collatere certe et congratulare ^g melioribus. Fac te illis adunata dilectione participem, fac te consortio charitatis et fraternitatis vinculo cohaerentem. Dimittentur tibi

^e Apud merram Ver. Mara Oxon.

^f Si sectari non potes Bod. 1, 2, 3, 4. Ver.

^g Gratulare Voss. 1. Congratulare Imp.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

XVI. — Sit in manibus. Miror hanc lectionem, C quam præferunt omnes veteres editiones et omnes libri veteres, rejectam fuisse a Pamelio, qui cum putaret hunc locum esse mutilum, eum supplevit ex quatuor manuscriptis et posuit: *Sit ante oculos divina lectio, in manibus bona operatio, in sensibus Dominica cogitatio*. Ego reposui veterem lectionem.

Habet et pax. Supra Epist. viii, pag. 18: *In caelestibus castris pax et acies habent flores suos*. Hilarius episcopus Arelatensis in Sermone de sancto Honorato: *Habet et pax martyres suos*. Hieronymus in Epistola ad Demetriadem de Virginitate servanda: *Habet et pudicitia servata martyrium suum*. Vide Homiliam sancti Joannis Chrysostomi in laudationem sanctæ protomartyris et apostolæ Theclæ. Commodianus, Instruct. Lxii: *Bellum abest, in pace martyres ibant*.

Victores prostrato. Codex Gratianopolitanus, congressione prostrato et subacto adversario, victores coronantur.

Libidinem. Quam Fulgentius Placiades lib. ii Mythol. vocat honestatis novercam.

XVII. — Merrham. Ita habent quatuor libri veteres optimi, etiam Veronensis. Sic etiam scriptum est in versione Lxx Interpretum, apud Origenem homilia vii in Exodum; apud sanctum Cyrillum Alexandrinum lib. v de Adoratione in spiritu et veritate; apud sanctum Ambrosium cap. 5 de Institutione Virginis, et apud sanctum Augustinum lib. ii, Quæst. 55 in Exodum. Et sic omnino scribendum recte ostendit Cotelerius ad librum vi, cap. 19, Constitutionum Apostolicarum. Vide etiam notas Frontonis Ducae ad poema xvii sancti Paulini. Rufinus in Psal. xlii: *Myrrha est species valde amara, de qua ungitur corpus mortui, ut non putrescat, et pellit vermes*.

Bonos imitare. Notum illud: *Tu vivendo bonos, scribendo sequere peritos*. Ambrosius lib. ii Officior.

cap. 20: *Plurimum itaque prodest unicuique bonis jungi. Adolescentibus quoque utile ut claros et sapientes viros sequantur*. Gregorius Nazianzenus in carmine ad Nicobulum ait prudentis et cordati viri esse magna mensura vitam suam metiri, atque ad excellentium virorum imitationem sese componere. Quintilianus lib. 1, cap. 6: *Ergo consuetudinem sermonis vocabo consensum eruditorum, sicut vivendi consensum bonorum*. ³⁶² Lactantius l. 1, c. 1: *Quomiam bene dicere ad paucos pertinet, bene autem vivere ad omnes*. Ruficius lib. ii, Epist. iv: *Sicut vivere commune est omnium, bene vero vivere et bene descendere de hac vita paucorum est*. Seneca Epist. vii: *Cum his versare qui te meliorem facturi sunt*. Symmachus lib. v, Epist. Lxiv: *Maximum lucrum est querere familiaritatem bonorum*. Hieronymus in Epistola ad Rusticum: *Inter clericos sectare meliores*. Fecit Cyprianus quod suadebat. Bonos semper imitabatur. Sic enim scribit Pontius diaconus in Vita ejus: *Et sic per bonorum omnium documenta decurrens, dum meliores semper imitatur, etiam ipse se fecit imitandum*. Ennodius lib. v, Epist. xx: *Totum te studia honesta suscipiant. Festina ut ad messem patriam venias, linguam lectionis sarculo, mores bonorum imitatione purgando*. Horatius lib. 1, Epist. xviii:

Inter multa leges et percunctabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter ævum.

Tacitus laudat Agricolum quod studeret *discere a peritis, sequi optimos*.

Coherentem. Hæc emendatio, quam inveni in tribus antiquis codicibus et in antiquis editionibus, mihi videtur certa. Et tamen omnes fere libri veteres præferunt *coheredem*. Hæc discrepantia orta hinc est quod in quodam veteri libro, ut in Victorino, scri-

debita quando et ipse dimiseris; accipientur sacrificia tua cum pacificus ad Deum veneris: sensus atque actus tui divinitus dirigentur quando ea quæ divina et justa sunt cogitaveris, sicut scriptum est: *Cor viri cogitet justa, ut a Domino dirigantur gressus ejus* (Prov. xvi, 9).

XVIII. Habes autem multa quæ cogites. Paradisum cogita, quo Cain non ingreditur, qui zelo fratrem peremit (Gen., iv). Cogita cœleste regnum, ad quod non nisi concordes atque unanimes^a Dominus ad-

A mittit. Cogita quod filii Dei hi soli possint vocari qui sint pacifici, qui nativitate cœlesti et lege divina^b ad similitudinem Dei Patris et Christi respondeant adunati. Cogita sub oculis Dei nos stare, spectante ac judicante ipso conversationis ac vitæ nostræ curricula decurrere, pervenire nos tunc demum posse ut eum videre contingat, si ipsum nunc videntem delectemur actibus nostris, si nos dignos gratia ejus et indulgentia præbeamus, si, placituri semper in regno, in hoc mundo autem peccamus.

LECTIONES VARIANTES.

^a Nisi unanimes Liu.

^b Nativitate et lege Ar. Lum. Ebor. NC. 4. Voss. 1, 2.

Bod. 1, 2, 3, 4.

VARIORUM NOTÆ.

ptum erat *coherentem* et supra lineam *vel coheredem*. Id sæpe evenisse in exemplaribus antiquis Operum sancti Cypriani jam observatum a nobis est.

XVIII. — *Cain non ingreditur*. Hanc lectionem, quam habent tres libri veteres, puto esse optimam; aliam vero, quæ habet *redit*, falsam. Cain enim, qui

natus est postquam parentes ejus ejecti fuerant e paradiso, non potest dici non redisse in paradysum, cum in illo nunquam fuerit. Itaque non dubitavi quin lectio horum trium librorum preferenda sit.

Gratia ejus. Ita multi libri veteres. Alii habent *gratiæ ejus et indulgentiæ*.

EPISTOLA AD FORTUNATUM DE EXHORTATIONE MARTYRII

PREFATIO.

I. DESIDERASTI, Fortunate carissime, ut, quoniam C persecutionum et pressurarum pondus incumbit, et in fine atque in consummatione^b mundi antichristi tempus infestum appropinquare jam cœpit, ad præparandas^c et corroborandas fratrum mentes de divinis Scripturis hortamenta componerem, quibus mi-

lites Christi ad cœleste et spiritale certamen animarum. Obtemperandum fuit desiderio tuo tam necessario, ut, quantum sufficit medioeritas nostra auxilio divinæ inspirationis instructa, quasi arma ac munimenta quædam pugnaturis fratribus de præceptis Dominicis promerentur. Parum est enim quod Dei plo-

LECTIONES VARIANTES.

^a De bono martyrii. Lege in pace, frater charissime, hisque temporibus nostra tempora conferens, tacitus ingemisce NC. 2.

^b In finem et consummationem Bod. 1. 4.

^c Ad præparandas fratrum Voss. 1.

STEPH. BALUZII NOTÆ.

Quamvis dubitari non possit quin hic liber sit sancti Cypriani, cui adscribitur in omnibus antiquis codicibus et editionibus, vetus tamen error qui irrepsit in antiquas editiones Epistolarum sancti Hieronymi, persuasit Mariano Victorio, ut observavit etiam Baronius, illum esse sancti Hilarii, episcopi Pictaviensis, argumento etiam sumpto ex stylo; cum tamen alii contendant styllum auctoris istius libri congruere cum stylo Cypriani, non congruere cum stylo Hilarii. Pravam lectionem quæ irrepsit in Epistolas Hieronymi susulit diligentia virorum clarissimorum Domni Petri Constant et Domni Joannis Martianay, monachorum ordinis sancti Benedicti, qui testantur veram ac genuinam lectionem quæ in nova Operum sancti Hieronymi editione habetur existare in omnibus codicibus manuscriptorum, nullo excepto. Unde autem ortus sit hic error divinare conatus est Latinus Latinius, et puto divinasse. Conjecit enim vir doctissimus scripum fuisse in margine ejusdem libri *ad Fortunatum*, ut hæc nota responderet nomini Cypriani, ilique postea in contextum temere relatum et non suo loco positum. Esse autem Cypriani hinc etiam, præter alia argumenta, probatur, quod

Inenmarus archiepiscopus Remensis, ut in margine observavit Sirmundus, in libro de *Prædestinatione* pag. 73, refert ex Cypriano locum quemdam ex libro II *Paralipomenon*, qui exstat in capite octavo hujus operis Cypriani. Quod autem Pearsonius in *Annalibus Cyprianicis* contendit illud non esse Cypriani, sed auctoris Cypriano junioris, ei non possum assentiri, cum nullas bonas rationes afferat pro assertenda illa sua opinione. Falsus est autem Pamelius scribens primam libri istius editionem debere Rembolto. Habetur enim in editione Spirensi, ut recte monerunt Augii, et in veteri Veneta. (PREFATIO. *Titulus iste et sequens, CAPITULA LIBRI SEQUENTIS, desumuntur ex editione Oxoniensi, in qua tamen nihil reperitur ut undenam accipiantur imotescat.* EDD.)

I. — *Jam cœpit*. Quamvis non constituerim reddere rationem omnium mutationum à me factarum in Operibus sancti Cypriani, putavi tamen reddere me debere in hoc loco, licet res sit exigui momenti, ne quis putare possit me vocem *jam* studio contradicendi posuisse pro *nunc*. Feci ergo quia omnes libri veteres et omnes veteres editiones exhibent hanc lectionem.